

## Band VIII., Nr. 3379, Seite 480-481

*Abt Heinrich und Konvent von St. Blasien bearkunden die zwischen ihnen und dem Ritter Walter Scharre von Hausen getroffene Vereinbarung über den Ersatz des von diesem ihnen durch einen Bau auf ihren Gütern bei [Scharn-]Hausen zugefügten Schadens.*

Esslingen, 1284. Oktober 10.

Omnibus Christi fidelibus hanc panginam inspecturis H[einricus] permissione divina abbas totusque conventus monasterii Sancti Blasii Nigre Silve ordinis sancti Benedicti Constantiensis dyocesis<sup>a</sup> notitiam subscriptorum. Ne lites salubriter terminate in recidive questionis scrupulum relabantur, fulciri solite sunt testimonio scripturarum. Cum itaque iam dudum causam<sup>b</sup> et questionem moverimus viro strennuo Walthero dicto Scharre militi de Husen super eo, quod in possessionibus seu fundis monasterio nostro pertinentibus prope villam Husen inedicavit<sup>c</sup> nobis invitis et reclamantibus, idemque excommunicationis sententia cum multiplicibus aggravationibus subsecutis ad nostri instantiam fuerit innodatus placueritque concordia, sic inter nos ex una et prefatum militem ex parte altera conventum est et ordinatum, quod sepefatus miles fundos occupatos nobis nostrisque hominibus pertinentes ad arbitrium bonorum virorum legaliter recompensabit. Verum cum iniuria et dampno illatis a dicto milite nos affectos conqueramur, conventum est, quod dictus miles pro hiis iniuria et dampnis quinquaginta libras monete Hallensis persolvat et assignare tenetur nobis nostroque monasterio vice emende nosque possessionem, quam primum locus fuerit, comparare tenebimur pro summa L librarum monete predictae. Cuius quidem possessionis, cum comparata fuerit per nos, nudus ususfructus apud prefatum militem remanebit pro tempore vite sue, eo vero cedente vel decedente ususfructus ad proprietatem revertetur consolidatoque usufructu cum proprietate possessione sic comparata gaudebimus libere et absolute, cessantibus et amotis nepotibus consanguineis herede seu heredibus dicti militis quibuscumque ab intestato venientibus vel etiam ex testamento. Adiectum etiam est, quod dictus miles pro iure advocatio in villa Husen in bonis monasterii nostri iuribus antiquis et consuetis advocato persolutis hactenus contentus in posterum stare debet nec gravabit monasterium nostrum in iuribus sibi [a] monasterio debitis quocumque nomine censeantur, sed ipsa manutenebit et tuebitur toto

---

<sup>a</sup>A': *dyocesis*.

<sup>b</sup>A': *causam*.

<sup>c</sup>A': *inedificavit*.

## II

posse salvo eo, quod albergarias recipiendas que vulgariter dicuntur herberga sepefato militi pro vite sue tempore recipere pro gratia dissimulamus, dummodo per huiusmodi albergarias homines monasterii nostri enormiter et plus quam exspediat non graventur. Nolumus autem, quod hec gratia ad heredem seu heredes ipsius militis aliquatenus extendatur, salvo omnibus aliis iuribus nobis nostroque monasterio in dicta villa Husen et districtu competentibus nunc vel etiam preteritis temporibus ab antiquo. In cuius rei testimonium de voluntate et consensu expresso prefati Waltheri militis et id ipsum rogantis presentem litteram sigillorum munimine nostri, honorandi viri Hugonis prepositi in Denkendorf et civium in Ezzelingen duximus roborandam. Ego vero Waltherus dictus Scharre de Husen miles confiteor premissa omnia fore vera et legaliter ordinata meque ad observationem eorum plenariam in toto et in parte heredesque meos astringo et confiteor presentibus astrinxisse bona fide verborum nichilominus et gestuum adhibita sollempnitate debita et consueta. Nos vero prepositus in Denkendorf et cives in Ezzelingen ad rogatum prefatorum divina permissione . . . abbas et conventus monasterii Sancti Blasii nec non Waltheri militis dicti Scharre de Husen sigilla nostra presentibus appendimus in evidentiam omnium premissorum. Acta sunt hec apud Ezzelingen, anno domini MCCLXXXIV., VI. idus Octobris, indictione XIII., presentibus Walthero dicto Murær et Hainrico de Ethingen fratribus de domo Predicatorum, magistro Rûperto rectore ecclesie in Sûlchen, magistro Walthero de Scafusa canonico sancti Stephani Constantiensis et Alberto rectore ecclesie in Nellingen clericis, Walcono, Bert. dicto Tisherre, Fridrico et Alberto fratribus, Fridrico fabro de Husen, Wernhero procuratore monasterii Sancti Blasii, H. ministro, Ottone, Bert. sutore, Alber[to] dicto Lemblin, Cun[rado] dicto Rûglin, Dietrico Ekkardi, Hainrico sutore, Hainrjco dicto Cremer, Walthero de Scafusa et Hainrico dicto Nietstain laicis et aliis quam pluribus fide dignis. Hiis<sup>d</sup> itaque litteris duplicatis et ad petitionem mei Waltheri dicti Scharren militis de Husen sigillatis sigillis honorandorum virorum divina permissione abbas monasterii Sancti Blasii, prepositus in Denkendorf et civium in Ezzelingen unam penes me retinui, altera ad perpetuum robur premissorum penes dictum monasterium Sancti Blasii remanente.

---

Der Textabdruck folgt der einen der beiden Ausfertigungen (A). Die Textabweichungen der zweiten Ausfertigung (A') sind in den Anmerkungen nachgewiesen. <br>

---

<sup>d</sup>Der Schlusssatz lautet bei A': *Hiis itaque litteris duplicatis et sigillatis sigillis predictis unam penes nos retinuimus, altera ad perpetuum robur premissorum penes sepefatum Waltherum militem remanente.*

### III

<br> An A sind die Siegel abgegangen; an A' ist vom Siegel des Abts von St. Blasien nur noch ein Bruchstück erhalten; ferner das bekannte Siegel der Stadt Esslingen.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

GLA Karlsruhe

### Signatur/Titel des Originals:

11/5607 (A und A')

### Überlieferung und Textkritik:

2 Originale.

### Editionen:

JOHANN WILHELM BRAUN (BEARB.): Urkundenbuch des Klosters Sankt Blasien im Schwarzwald. Von den Anfängen bis zum Jahr 1299, 2 Bde., Stuttgart 2003 (Veröffentlichungen der Kommission für Geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg, Reihe A, Bd. 23, 1-2), Bd. 1, S. 778–780, Nr. 595 (auch zur Provenienz).

### Literatur:

Müller: Privaturkunden Kloster St. Blasien, S. 70, Nr. 243 (zur Schreiberhand).

## Weitere Angaben

### Überlieferungsart:

Ausfertigung

### Beschreibstoff:

Pergament

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Esslingen

### Ortsindex:

Denkendorf Wohnplatz (319)<br> Denkendorf, ES<br> Ehingen, Rottenburg am Neckar, Tü, A<br> Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)<br> Esslingen am Neckar, ES<br> Konstanz Wohnplatz (14442)<br> Konstanz, KN<br> Nellingen Wohnplatz (545)<br> Nellingen, Ostfildern, ES<br> Schaffhausen, Kt. Schaffhausen, Schweiz<br> Scharnhausen

Wohnplatz (550) <br> Scharnhausen, Ostfildern, ES <br> St. Blasien  
Wohnplatz (15605) <br> St. Blasien, WT <br> Sülchen Wohnplatz  
(16189) <br> Sülchen, Rottenburg am Neckar, Tü